



## Liber Genesis Hebraice Beresith.

### Caput i.

De mundi creatione, rerum creatarum distinctione et ornatu, deque hominis formatione, cui subiectit Deus omnia quae creaverat.



N principio creavit Deus <sup>a</sup> cœlum, et terram.

2. Terra autem erat inanis et vacua, et tenebre erant super faciem abyssi : et Spiritus Dei ferebatur super aquas.

3. Dixitque Deus : <sup>b</sup> Fiat lux. Et facta est lux.

4. Et vidit Deus lucem quod esset bona : et divisit lucem a tenebris.

5. Appellavitque lucem Diem, et tenebras Noctem : factumque est vespero et mane, dies unus.

6. Dixit quoque Deus : Fiat firmamentum in medio aquarum : et dividat aquas ab aquis.

7. Et fecit Deus firmamentum, divisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, <sup>c</sup> quæ erant super firmamentum. Et factum est ita.

8. Vocavitque Deus firmamentum, Cœlum : et factum est vespero et mane, dies secundus.

9. Dixit vero Deus : Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum : et appareat arida. Et factum est ita.

10. Et vocavit Deus aridam, <sup>d</sup> Terram, congregationesque aquarum appellavit Maria. Et vidit Deus quod esset bonum.

11. Et ait : Germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita.

12. Et protulit terra herbam virentem, et facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, et habens unumquodque sementem secundum speciem suam. Et vidit Deus quod esset bonum.

13. Et factum est vespero et mane, dies tertius.

14. Dixit autem Deus : Fiant luminaria in firmamento cœli, et dividant diem a noctem, et sint <sup>e</sup> in signa et tempora, et dies et annos :

15. Ut luceant in firmamento cœli, et illuminent terram. Et factum est ita.

16. Fecitque Deus duo luminaria magna : luminare majus, ut præcesset diei : et luminare minus, ut præcesset nocti : et stellas.

17. Et posuit eas in firmamento cœli, ut lucerent super terram.

18. Et præcessent diei ac nocti, et dividenter lucem ac tenebras. Et vidit Deus quod esset bonum.

19. Et factum est vespero et mane, dies quartus.

20. Dixit etiam Deus : Producant aquæ reptile animæ viventis, et volatile super terram sub firmamento cœli.

21. Creavitque Deus Cete grandia, et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquæ in species suas, et omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum.

22. Benedixitque eis, dicens : Crescite, et multiplicamini, et replete aquas maris : avesque multiplicentur super terram.

23. Et factum est vespero et mane, dies quintus.

24. Dixit quoque Deus : Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, et reptilia, et bestias terræ secundum species suas. Factumque est ita.

25. Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, et jumenta, et omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum.

26. Et ait : Faciamus Hominem ad imaginem, et similitudinem nostram : et præsit piscibus maris, et volatilebus cœli, et bestiis, universæque terræ, omniisque reptili, quod movetur in terra.

27. Et creavit Deus hominem ad imaginem suam : <sup>f</sup> ad imaginem Dei creavit illum, <sup>g</sup> masculum et feminam creavit eos.

28. Benedixitque illis Deus, et ait : Crescite et multiplicamini, et replete

<sup>e</sup> Ps. 135,  
7.

<sup>f</sup> Infr. 5, 1  
et 9, 6.  
1 Cor.  
11, 7.  
Col. 3,  
10.

<sup>g</sup> Sap. 2,  
23.  
Eccli.  
17, 1.

<sup>h</sup> Matth.  
19, 4.  
<sup>i</sup> Infr. 8,  
17 et 9, 2.

<sup>a</sup> Ps. 32, 6,  
135, 5.  
Eccli.  
18, 1.  
Act. 14,  
14 et 17,  
24.

<sup>b</sup> Hebr. 11,  
3

<sup>c</sup> Ps. 135,  
6 et 148,  
4.  
Jer. 10,  
12 et 51,  
15.

<sup>d</sup> Job. 38,  
4. Ps. 32,  
7 et 88,  
12 et 135,  
6.